

DECRETA ANACLETI PAPAE DE OPPRESSIONE CHRISTIANORUM ET DE ACCUSATIONE EPISCOPI ET DE ORDINATIONE ARCHIEPISCOPORUM ET CETERORUM ET DE PRIMATIBUS ET DE PATRIARCHIS EORUMQUE MINISTERIO 18v

5 Anacletus servus Christi Iesu in sede apostolica domino serviens episcopis omnibus et ceteris cunctis fidelibus, qui coaequalem nobiscum sortiti sunt fidem, gratia vobis et pax atque consolatio multiplicetur a domino in saecula. 1

Benedictus deus et pater domini nostri Iesu Christi, qui secundum magnam misericordiam suam regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Christi Iesu ex mortuis in hereditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcescibilem conservatam in caelis in vobis, qui in virtute dei custodimini per fidem in salutem paratam revelari in tempore novissimo, in quo exultabitis, modicum nunc, si oportet contristari in variis temptationibus, ut probatio vestrae fidei multo pretiosior sit auro, quod per ignem probatur, si tamen tribulationibus experti probati inveniamini. Patientes estote, dilectissimi, quia patientia probationem operatur, probatio vero spem, spes autem non confundit. Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terrae patienter ferens, donec accipiat temporaneum et serotinum. Si agricolae haec patienter ferunt pro temporalibus fructibus, quanto magis vos pro aeternis patientes esse debetis? Estote ergo patientes et confirmate corda vestra, ut adveniente iudice Christo laeti et probati esse valeatis. Nolite ingemiscere in alterutrum, ut non iudicemini. Ecce iudex ante ianuam assistit. Exemplum accipite, carissimi, laboris et patientiae prophetas, qui locuti sunt in nomine domini. En beatificamus, qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis et finem domini vidistis, quoniam misericors et miserator dominus est. 19r

Tribulationes vestras audivimus, fratres, tam per vestros quam et per aliorum apocrisiarios, super quibus valde dolemus vobisque compatimur et auxilium ferre, prout ipse largitus fuerit, qui pro nobis non solum tribulatus, sed etiam passus est, parati sumus. Nolite mirari, carissimi, qui persecutiones patimini, quasi novi vobis aliquid contingat, sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriae eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, quoniam, quod est honoris, gloriae et virtutis dei et, qui est eius spiritus, super vos requiescet. Nemo autem vestrum patiatur quasi homicida aut fur aut maledicus aut alienorum appetitor, si autem ut christianus, non erubescat, glorificet autem deum in isto nomine, quoniam tempus est, ut incipiat iudicium de domo dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum, qui non credunt dei evangelio? Et si iustus vix salvabitur, impius et peccator, ubi parebunt? Itaque et hi, qui patiuntur secundum voluntatem dei, fideli creatori commendant animas suas in benefactis. 3

Nam, ut ait beatus Clemens praedictus antecessor noster, similis est omnis ecclesiae status navi magnae, quae per undosum pelagus diversis e locis et regionibus viros portat ad unam potentis regni urbem properare cupientis. Sit ergo navis auctor huius dominus ipse omnipotens deus, gubernator vero sit Christus, tunc deinde proretae officium episcopus impleat, presbyter nautarum, diaconi dispensatorum locum teneant, hi, qui catecizant, nautologis conferuntur. Epibates autem totius fraternitatis multitudo sit similis. Ipsum quoque mare hic mundus 4

habeatur. Ventorum vero varietates et turbinum diversis temptationibus conferantur, persecutiones, tribulationes sive pericula fluctibus exaequantur. Terreni vero spiritus, qui vel de torrentibus vel de convallibus spirant, pseudoprophetarum et seductorum seu pravae doctrinae verba docentur, promuntoria vero et loca confragosa hi, qui in potestatibus saeculi sunt iudices et pericula minantur ac mortes. Bithalassa vero loca, quae duplicibus undae fallacis aestibus verberantur, dubiis mente et repromissionum nutantibus conferantur atque his, qui irrationabili fidem nostram ratione discutunt. Ypochritae vero et dolosi piratis similes habeantur. Iam vero rapidus vertex et tartarea caribdis et saxis illisa naufragia ac mortiferae submersiones, quid aliud aestimanda sunt quam peccata? Restat igitur, ut haec navis cursu prospero tuta possit portum desideratae urbis intrare et ita deo precem fundere, ut navigantes mereantur audiri.

- 5 Audivimus, fratres, quod quidam detrahunt et accusant sacerdotes dei cupientes eos dampnari non intellegentes forsitan, quod iniuria sacerdotum ad Christum pertinet, cuius vice funguntur. Nec hoc aspiciunt, quod beatus princeps apostolorum instructor noster ait: Deponentes igitur omnem maliciam et omnem dolum et simulationes et invidias et omnes detractiones, sicut modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. Et dominus per prophetam inquit: Qui vult vitam diligere et videre dies bonos, coerceat linguam suam a malo, et labia eius ne loquantur dolum, et cetera. Qui autem ista transgrediuntur, profecto transgressores legis dei et contemptores atque inoboedientes eius praeceptis existunt. Unde et beatus Iacobus apostolus ait: Si diligitis proximos sicut vosmetipsos, bene facitis, si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quasi transgressores, et cetera. Et beatus ac praedecessor noster Clemens, vir apostolicus et spiritu dei plenus, una cum reliquis sanctis collegis suis statuit dicens: Accusandi vel testificandi licentia denegetur, qui christianae religionis et nominis dignitatem et suae legis vel sui propositi normam aut regulariter prohibita neglexerint. Transgressores enim sponte legis suae eiusque violatores apostatae nominantur. Omnis enim apostata refutandus est ante reversionem suam, non in accusatione recte agentium aut testimonio suscipiendus, quia vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.
- 6 Quicumque autem, ut ait Iacobus apostolus, totam legem servaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit: Non moechaberis, dixit et: non occides. Quod si non moechaberis, occides autem, factus es transgressor legis. Sic loquimini et sic facite sicut per legem libertatis incipientes iudicari. Iudicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam. Superexaltet autem misericordiam iudicio, et dominus ait: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, et multa talia horumque similia. Nemo enim, inquit apostolus, nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur, sive ergo vivimus sive morimur, domini sumus. In hoc ergo Christus mortuus est et revixit, ut et mortuorum et vivorum dominetur. Tu autem, quis es, qui [verb. aus qui] iudicas fratrem tuum, aut tu, quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal dei. Scriptum est enim: Vivo ego, dicit dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur domino. Itaque unusquisque nostrum pro

52 mortes] *corrected from* mortales 55 caribdis] *corrected from* caripdis 70 vosmetipsos] *corrected from* metipsos 73 reliquis] *corrected from* reliquiis 76 apostatae] *in margin: recedens* 89 quis ... qui<sup>1</sup>] *corrected from* qui

se rationem reddet deo. Non ergo amplius invicem iudicemus, sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum.

95 Scimus enim, quia multum derogatio praevalet, quando derogator creditur fide dignus. Ideo, fratres, variis detractionibus et accusationibus non oportet labefactari iudices et primates ecclesiae, sed magis apostolorum et doctorum regulis informari et roborari. Unde iustum est omnes in universo Romanorum orbe doctores legis ea, quae legis sunt recte sapere et operari, et non regulas nascentis ecclesiae confundi, aut fidem aut doctrinam apostolorum variis maculare doctrinis, nec fratres infestare.

Si autem omnia in hoc saeculo vindicata essent, locum divina iudicia non haberent. Supervacuis enim ad beneficia laborat impendiis, qui solem certat facibus adiuvere. Ideo si aliquis putat deo in hoc placere, quod servos suos accusat et, ut meliores fiant, dicit se hoc agere, in vanum laborat et plus invidiae stimulis agitur quam caritatis, quoniam gratiae plenitudo adiectione non indiget nec ulla requirit commendationis augmenta. Erigunt ergo doctores conscientiam suam et, si quando incertis temporum aetatibus opponuntur, sustinent mala, quae saeculis magis sunt ascribenda quam meritis. Datam enim scimus satanae potestatem, ut servos Christi cribraret, ut, quod de tritico inveniri posset, horreis ingereretur et, quod de paleis, ad ignium alimenta transiret. Ad vos specialiter dictum est: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum, venit inter vos gladius perfidorum, ut marcidae ecclesiae membra resecaet et ad caelestem gloriam sana perduceret. Quos habeat Christus milites, certamen ostendit, qui triumphum mereantur, per bella cognoscuntur. Scimus autem multos ob id infestare doctores, ut eos perdant et propriae voluntatis placita adimpleant. Non propterea tamen doctores, in quantum vires suppetunt, a recta aemulatione et bona intentione recedere debent scientes, quia beati, qui persecutionem paciuntur propter iustitiam.

120 Nihil autem illo est pastore miserius, qui luporum laudibus gloriatur. Quibus si placere voluerit atque ab his amari delegerit, erit hinc ovibus magna pernicies. Nullus ergo pastorum placere lupis et gregibus ovium potest. Perdit enim laboris memoriam mens terrenis obligata carceribus. Sicut artium in suo quoque opere invenitur mater instantia, ita noverca eruditionis est neglegentia. Nullus ergo praeiudicium alteri faciat, neque, quod sibi fieri non vult, exerceat. Nemo dictum de aliquo inveniet, quod in eius actibus non agnoscat. Ego autem labefactatam non solum quietem meam, sed et salutem inimicorum valitudine et rumorum procellis agnosco. Potens est divinitas immensa tempestatis incerta bono serenitatis amovere. Et quid aliud, si Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia eius, et apostoli passi sunt, sequentes eius exemplum et reliqui patres, nisi ut sequamur tam doctrinam eorum quam et exemplum, et patiamur adversa pro Christo, et cum patribus atque cum fratribus crucem portemus eorumque tribulationibus compatiamur, ut Christi veri discipuli inveniamur, qui dixit: Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me, et reliqua. Praesumptio est, si dominorum beneficia famuli non sequantur. Obsequium ergo aestimandum puto, quod pariturus impendo. Quid est enim, quod plus creditur filii vocabulum valere quam

110 posset] corrected from possit      112 quia] added      115 mereantur] corrected from mereatur      cognoscuntur] corrected from cognoscantur      118 intentione] corrected from intentio      121 erit] corrected from erint      126 labefactatam] corrected from labefactam

obsequium? Et non quaeritur, quid in amoris lance promoveas, sed quale ad praeiudicium aestimanti nomen opponas, cum apud prudentes frustra sobolem dicimus, nisi exhibeat, quod vocatur. Ego vero nolo errore meo alienas culpas asserere, ut factum, quod doleo, admisisse convincar. 140

- 10 Odisti, inquit dominus per prophetam, omnes operantes iniquitatem, perdes loquentes mendacium. Virum sanguinum et dolosum abominabitur dominus, ego autem in multitudine misericordiae tuae introibo in domum tuam adoraboque in templo sancto tuo in timore tuo. 145

#### DECANTORES

Domine, deduc me in iustitia tua propter decantatores, dirige ante faciem meam viam tuam, non est enim in ore eorum rectum, interiora eorum insidiae, sepulchrum patens guttur eorum, linguam suam laenificam. Condemna eos, deus, decidant a consiliis suis, iuxta multitudinem scelerum eorum expelle eos, quoniam provocaverunt te. Et laentur omnes, qui sperant in te, in saeculum laudabunt. Et proteges eos, et laetabuntur in te, qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedicis iusto. Domine, ut hasta placabilitatis coronabis eum. 150

- 11 Deo enim perfecte sacrificantes non debent vexari, sed portari, consolari atque ab omnibus venerari. Ipsi autem, quando domino sacrificant, non soli hoc agere debent, sed testes secum adhibeant, ut domino perfecte in sacratis deo sacrificare locis probentur. Ait namque auctoritas legis divinae: Vide, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in loco, quem elegerit dominus deus tuus. 155

#### DE EPISCOPO MISSA CAELEBRANTE EIUSQUE MINISTRIS

Episcopus deo sacrificans testes, ut praefixum est, secum habeat et plures quam alius sacerdos. Sicut enim maioris honoris gradu fruitur, sic maioris testimonii incrementatione indiget. In sollemnioribus quippe diebus aut septem aut quinque aut tres diaconos, qui eius oculi dicuntur, et subdiaconos atque reliquos ministros secum habeat, qui sacris induti vestimentis in fronte et a tergo et presbyteri e regione dextra levaque, contrito corde et humiliato spiritu ac prono stent vultu custodientes eum a malivolis hominibus et consensum eius praebeant sacrificio. Peracta autem consecratione omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim et apostoli statuerunt et sancta Romana tenet ecclesia. Servite, inquit dominus per prophetam David, in timore et exaltate ei in tremore, adorate pure, ne forte irascatur et pereatis de via. Ille enim non perit de via, qui recte graditur et praecepta custodit maiorum. 165 170

- 12 Doceri ergo omnes oportet, qui domini sacerdotio funguntur, ut ceteros instruant et sibi proficiant. Scriptum est autem: Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates. Et alibi: Populus autem sciens deum suum obtinebit et faciet, et docti in populo docebunt plurimos. Ipsa enim veritas per se infert et dicit: Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Ille procul dubio scandalizatus est in deum, qui recte non docet, et qui eius scandalizat episcopum vel sacerdotem. Impie namque agentes sunt impii, neque intellegent omnes impii, 175

140 nolo] corrected from non 146 DECANTORES] rubric corrected to DE CANTORIBUS; -ibus erased; entire rubric then canceled by a later hand 159 CAELEBRANTE] corrected from CAELEBRANTI 167 Peracta] in margin: ut peracta consecratione omnes communicent 169 inquit] corrected from inquit

180 porro docti intellegunt. Omnes enim invicem humilitatem insinuate, quia deus  
superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Nolite, inquit Ioannes apostolus, omni spiritui credere, sed probate spiritus, si  
ex deo sunt, quoniam pseudoprophetae exierunt in mundum. Et idem ipse alibi  
ait: Vos, quod audistis ab initio, in vobis permaneat, si in vobis permanserit, quod  
185 ab initio audistis, et vos in filio et patre manebitis. Et haec est ab initio, quam ipse  
pollicitus est nobis, vita aeterna. Haec scripsi vobis de his, qui seducunt vos. Et  
vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis, ut  
aliquis doceat vos, sed sicut unctio eius docet vos de omnibus, et verum est, non  
est mendacium, et sicut docuit vos, manete in eo. Et nunc, filioli, manete in eo ut,  
190 cum apparuerit, habeamus fiduciam, et non confundamur ab eo in adventu eius.  
Scitis, quoniam iustus est, scitote, quoniam et omnis, qui facit iustitiam, ex ipso  
natus est. Videte, qualem caritatem dedit nobis pater, ut filii dei nominemur et  
simus. Propter hoc mundus non novit nos, quia non novit eum. Karissimi, nunc  
filii dei sumus et nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam, cum  
195 apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est. Et omnis, qui  
habet spem hanc in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est. Omnis, qui facit  
peccatum, et iniquitatem facit, et peccatum est iniquitas. Et scitis, quia ille  
apparuit, ut peccata tolleret, et peccatum in eo non est. Omnis, qui in eo manet,  
non peccat, et omnis, qui peccat, non vidit eum nec cognovit eum. Filioli, nemo  
200 vos seducat. Qui facit iustitiam, iustus est, sicut et ille iustus est. Qui facit  
peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit filius  
dei, ut dissolvat opera diaboli. Omnis, qui natus est ex deo, peccatum non facit,  
quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex deo natus  
est. In hoc manifesti sunt filii dei et filii diaboli. Omnis, qui non est iustus, non  
205 est de deo et, qui non diligit fratrem suum, quoniam haec est annuntiatio, quam  
audistis ab initio, ut diligamus alterutrum, non sicut Cain, qui ex maligno erat et  
occidit fratrem suum, et propter hoc occidit eum, quoniam opera eius maligna  
erant, fratris autem iusta. Nolite mirari, fratres, si odit vos mundus. Nos scimus,  
quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non  
210 diligit, manet in morte. Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quia  
omnis homicida non habet vitam aeternam in semetipso manentem. In hoc  
cognovimus caritatem dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit, et nos  
debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam mundi et viderit  
fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas  
215 dei manet in eo? Filioli, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate.  
In hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus, et in conspectu eius suademus  
corda nostra, quoniam, si repraehenderit nos cor nostrum, maior est deus corde  
nostro, et novit omnia. Carissimi, si cor nostrum repraehenderit nos, fiduciam  
habemus ad deum, et quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata  
220 eius custodimus et ea, quae sunt placita coram eo, facimus. Et hoc est mandatum  
eius, ut credamus in nomine filii eius Iesu Christi et diligamus alterutrum, sicut  
dedit mandatum nobis. Et qui servat mandata eius, in illo manet et ipse in eo, et in  
hoc scimus, quoniam manet in nobis de spiritu, quem dedit nobis.

Et sicut deus creator, qui hominem ad similitudinem suam creavit, est caritas,  
225 est bonus, iustus, patiens atque mitis et misericors, et cetera virtutum sanctarum  
insignia, quae de eo leguntur--ita homo creatus est, ut caritatem haberet, ut bonus

esset et iustus, ut patiens atque mitis, mundus et misericors foret. Quas virtutes, quanto plus in seipso habet, tanto propius est deo et maior. Si vero a sui conditoris similitudine degener oberrat, tunc fiet de eo, quod scriptum est: Et homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis. Qui maior honor potuit homini esse, quam ut ad similitudinem sui factoris conderetur et eisdem virtutum vestimentis ornaretur, quibus et conditor, de quo legitur: Dominus regnavit, decore indutus est, id est omnium virtutum splendore et totius bonitatis decore ornatus, vel quod maius homini potest esse dedecus aut infelicior miseria, quam ut hac similitudinis gloria sui conditoris amissa ad informem et irrationabilem brutorum iumentorum delabatur similitudinem? Quapropter quisque diligentius attendat primae condicionis suae excellentiam et venerandam sanctae trinitatis in seipso imaginem agnoscat honoremque similitudinis divinae, ad quae creatus est, nobilitate morum, executione virtutum, dignitate meritorum habere contendat, ut, quando apparuerit, qualis sit, tunc similis ei appareat, qui se mirabiliter ad similitudinem suam in primo Adam condidit, mirabilisque in secundo reformavit.

15 Omnis igitur homo, qui ad imaginem dei factus est, illum debet imitari, cuius ad imaginem conditus est, illius debet sequi vestigia, qui eum ad imaginem sui condidit. Consiliarium vero ac protectorem meliorem repperire non poterit quam illum, qui eum ad imaginem sui condidit, qui eum pretioso sanguine suo redemit, et propter eum homo fieri non est dedignatus, quem procul dubio inveniet, si in eum totam spem suam iuxta psalmistae vocem proiecerit. Ait namque: Proice super dominum caritatem tuam, et ipse te enutriet nec dabit in aeternum fluctuationem iusto. Omnis enim homo in sua causa deficiens et in suis hesitans consiliiis quaerit sibi amicum fidelem, in cuius consiliis confidat, qui in suis diffidebat, et talem fiduciam habet in illo, ut omne secretum sui pectoris ei pandat et aperiat. Quid dulcius est, quam habeas illum, cum quo omnia possis loqui ut tecum? Si ista cum hominibus fiunt, quanto magis cum deo hoc est agendum, qui omnes vult salvos fieri et neminem perire? Nam si veraciter deum credimus eumque diligimus, ut debemus, et proximos sicut nosmetipsos, in eumque totam spem proiecerimus nostram, ipse nos eripiet et consolabitur. Et, sicut per angelum suum Habacuc prophetam cum prandiis in lacum leonum ad Danielem vatem misit, et Philippum, unum de septem diaconibus, ad eunuchum, ita dabit vobis liberationem et consolationem.

16 Haec sectamini, carissimi, et nulli unquam nocete. Fratres estis, invicem vos diligite, ut veri domini discipuli effici mereamini. Nam qui rancida corda vivorum inficit, maliciam inter homines spargit. Et qui detrahit fratrem suum, homicida est. Et qui abstulerit aliquid patri vel matri, dicitque hoc peccatum non esse, homicidae particeps est. Pater noster sine dubio est, qui nos creavit, mater nostra vero ecclesia, quae nos in baptismo spiritaliter regeneravit. Ergo qui Christi pecunias et ecclesiae rapit, aufert vel fraudat, homicida est, atque homicida ante conspectum iusti iudicis esse deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur, qui autem pecuniam vel res ecclesiae abstulerit, sacrilegium facit.

#### DE PEREGRINIS IUDICIIS CUM EXEMPLO LOTH

238 venerandam] *corrected from* venerandem    253 pectoris] *corrected from* peccatoris    255 qui] *corrected from* quia    256 veraciter] *corrected from* peraciter

Privilegia enim ecclesiarum et sacerdotum sancti apostoli iussu salvatoris  
 intemerata et inviolata aevis decreverunt manere temporibus. Leges ecclesiae  
 275 apostolica firmamus auctoritate et peregrina iudicia submovemus. Unde et  
 dominus mentionem faciens Loth per Moysen loquitur dicens: Ingressus es,  
 quidam inquirunt, ut advena, numquid ut iudices? Unaquaeque provintia tam iuxta  
 ecclesiasticas quam iuxta saeculi leges suos debet iustos et non iniquos habere  
 iudices, et non externos, nisi apostolicae huius sedis decreverit auctoritas,  
 280 quatenus, quicumque causam habuerit apud suos iudices iudicetur, et non alienos  
 causa vagandi stimulante propter suam viam despiciens patriam transeat, sed ad  
 duodecim eiusdem provinciae iudices, ad quorum iudicium omnes causae  
 civitatum referuntur, deferatur negotium. Si autem fuerit ecclesiasticum apud  
 episcopos interveniente primate, siquidem maior causa fuerit; si vero minor,  
 285 metropolitano; si vero fuerit saeculare, apud eiusdem ordinis viros iudicio tamen  
 episcoporum, cum apostolus privatorum christianorum causas magis ecclesiis  
 deferri et ibidem sacerdotali iudicio terminari voluit. Omnis enim oppressus  
 libere sacerdotum, si voluerit, appellet iudicium et a nullo prohibeatur, sed ab his  
 fulciatur et liberetur. Si autem difficiles causae aut maiora negotia orta fuerint, ad  
 290 maiorem sedem referantur, et si illic facile discerni non poterint aut iuste  
 terminari, ubi fuerint summorum congregatio congregata, quod per singulos  
 annos bis fieri solet et debet, iuste et deo placite coram patriarcha aut primate  
 ecclesiastica et coram patricio saecularia iudicentur negotia in commune. Quod si  
 295 difficiliores ortae fuerint quaestiones aut episcoporum vel maiorum iudicia aut  
 maiores causae fuerint, ad sedem apostolicam, si appellata fuerit, referantur,  
 quoniam hoc apostoli statuerunt iussione salvatoris, ut maiores et difficiliores  
 quaestiones semper ad sedem deferantur apostolicam, super quam Christus  
 universam construxit ecclesiam, dicente ipso ad beatum principem apostolorum  
 Petrum: Tu es, inquit, Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et  
 300 reliqua.

Sit ergo, fratres, constantia vestra adversus contentiones eorum, qui adversa  
 sapiunt, et non, quae dei sapiunt, et erit fortior petra constantia vestra, sicut  
 scriptum est: Ne timueritis ab eis, neque terreamini a facie eorum, qui corpus  
 305 occidunt, animam autem non possunt occidere. Quod autem in aure auditis,  
 praedicate in lumine illum timentes, qui potest animam et corpus occidere et  
 mittere in gehennam. Fratres mei, in carne ambulantes non secundum carnem  
 militamus. Arma enim militiae nostrae non carnalia, sed potentia deo ad  
 destructionem munitionum consilia destruentes et omnem exaltationem  
 extollentem se adversus scientiam dei, et in captivitatem redigentes omnem  
 310 cogitationem in obsequium Christo perducentes. De cetero, fratres, confortamini  
 in domino et in potentia fortitudinis eius, ut pax vobis multa et gratia a deo et  
 domino nostro Iesu Christo ministretur. Amplectimur et osculamur ac, si  
 praesentes caritatem vestram in unitate spiritus, in vinculo pacis et caritatis  
 Christi. Propter quod, carissimi, exspectantes satagite immaculati et inviolati  
 315 inveniri in pace et domini nostri longanimitatem salutem arbitramini. Sicut et  
 carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis,  
 sicut et in omnibus epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quaedam  
 difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant sicut et ceteras scripturas

273 Privilegia] *in margin*: De privilegiis ecclesiarum et sacerdotum 278 quam] *corrected from*  
 quae 279 auctoritas] *omits* 282 iudicium] *corrected from* iudicem 284 siquidem] *corrected from* si qui  
 285 viros] *omits* 286 ecclesiis] *corrected from* ecclesias 288 ab his] *corrected from* a nullo 304 aure]  
*corrected from* ore 309 redigentes] *corrected from* redientes

ad suam perditionem. Vos igitur, fratres, praescientes custodite, ne insipientium errore transducti excidatis a propria firmitate. Crescite vero in gratia et cognitione domini nostri Iesu Christi et salvatoris. 320

- 19 Vos autem, carissimi, memores estote verborum, quae praedicta sunt ab apostolis domini nostri Iesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores secundum sua desideria ambulantes in impietate. Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes, vos autem, carissimi, supraedificantes vosmetipsos sanctissimae vestrae fidei in spiritu sancto orantes. Ipsos vos in dilectione dei servate exspectantes misericordiam domini nostri Iesu Christi in vitam aeternam. Et hos quidem arguite iudicatos, illos vero salvate de igne rapientes. Aliis autem miseremini in timore odientes eam, quae carnalis est, maculatam tunicam. Ei autem, qui potens est vos conservare sine peccato et constituere ante conspectum gloriae suae immaculatos in exultatione, soli deo salvatori nostro per Iesum Christum dominum nostrum gloria, magnificentia et imperium et potestas ante omnia saecula et nunc et in omnia saecula saeculorum. Amen. 325 330